



Latitudines planetarum.

♄	2	39	M	A
♃	1	6	S	D
♂	0	7	S	A
♀	2	47	M	D
♁	2	38	M	A
♂	0	25	S	A

Nata in noua ciuitate prope Lisibonam Portugallia.

Quomodo septem Planetæ gubernent conceptum iam foetum, à die conceptionis, usq; ad horam natiuitatis.

**D**vo sunt principia hominis, Conceptio & Partus. Per primum hoc principium conceptionis, possumus scire ea quæ accidunt creaturæ ante quàm nascatur. Per secundum uerò, ea quæ uentura sunt nato post partum. Nam infans tunc adipiscitur ea, quæ dum in utero clauderetur, non habebat. De primo igitur principio, uide quomodo septem Planetæ gubernent conceptum foetum à die conceptionis, usq; ad horam natiuitatis.

Saturnus supremus planetarum dirigit conceptum, per primum mensem à die conceptionis, qui materiam coagulat, constringit, & exiccat. Sicut enim ipse altior est cæteris Planetis, & primus, ita eius regimen primo creaturam humanam ambit & gubernat. Si itaq; ipse tunc bene dispositus fuerit, erit conceptio bene disposita, & salua &c.

Iupiter disponit conceptum in utero secundo mense, qui facit uentos congelatiuos, & mouet materiam, ut fiat mollis, dirigitq; uentus eius calorem naturalem, &